Guilelmo Arminio Blume

gymnasii Vesaliensis rectori
collegii canonici Brandenburgensis socio
doctori theologiae et philosophiae
munus scholasticum
per quinquaginta annos honorificentissime peractum
gratulantur
magistri scholae Duisburgensis.

Inest: De XXIV Iliadis rhapsodia dissertatio. Pars altera. Scripsit Helmuth Liesegang.

Duisburgi,
mense Junio MDCCCLXVII.

Typis Joannis Ewich.

Tibi, Guilelme Armini Blume, dei omnipotentis summa clementia contigit, ut hunc diem videres laetissimum, quo ante decem lustra — grande sane mortalis aevi spatium — munus honestissimum iuventutis erudiendae es ingressus. Quo in munere quantum profeceris, qua humanitate, qua diligentia, qua religione ei praefueris, quot adolescentes artibus liberalibus imbueris, quorum multos nunc laude atque dignitate florere tuo iure laetaris, qua clementia atque benignitate errantes ad viam rectam reduxeris, labantes sustinueris et confirmaveris, qua fideli cura, quo amore collegas nunquam non adiuveris, quam bene libris iis, quos ad usum et magistrorum et discipulorum composuisti, de universa iuventutis eruditione merueris, ea omnia hoc loco praedicare meritisque laudibus exornare nostrum non est. Tuaeque egregiae virtuti laetamur atque gratulamur non defuisse felicitatem et eventum. Nam tu, vir dilectissime, velut patriarcha quidam flores frequentissima stipatus tuorum caterva, qui omnes summo amore summaque pietate te amplectuntur. En uxor carissima, mulier lectissima atque ornatissima, per tot annos summo amore summaque concordia tecum coniuncta et copulata! en filii, viri fortissimi, qui patris, qui et ipse adolescens nobilissimo patriae amore inflammatus arma ad patriam liberandam cepisti, exemplum secuti iam rerum gestarum florent gloria, bello quod proximo anno bene gessimus, probati atque spectati! en filiae omnes felici matrimonio junctae! caterva vero nepotum atque neptium paene infinita, de quibus vel optima licet sperare, vel spei quam de iis conceperas, iam responderunt. Omnes tibi hunc diem festum gratulantur, omnes ut hic tibi dies faustus fortunatusque sit optant. Neque tantum hi, qui artissimis sanguinis vinculis tecum sunt coniuncti gaudent atque exultant, gaudent atque exultant discipuli quoque tui permulti tibique pietatem gratumque animum significant. Quapropter nos quoque decet, qui si non sanguine at studiorum munerisque aequalitate et vicinitate propinqua te contingimus, hunc diem non intestatum praetermittere. Nostro iure hoc nobis postulare et posse et debere videmur, ut nobis quoque liceat hoc die te adire, tibi gratulari, tibi optima et faustissima quaeque precari. Precamur a deo optimo maximo, ut vitae tuae optimae atque felicissimae quasi cumulus accedat senectus beatissima, ut etiam per multos annos (si dei concesserit benignitas) vivas beatus atque fortunatus, ut tibi alteri Nestori, qui cum aetatis tuae experientia conjungas aliquid fervoris iuvenilis, liceat videre aliquamdiu tuorum felicitatem atque incolumitatem. Nostram quoque, qui ea qua par est te colimus atque observamus verecundia, memoriam noli omnino dimittere, nostrum quoque ut interdum sis memor, rogamus te et obsecramus.

Libentissime vero ego arripui facultatem tibi hoc die solenni collegarum meorum nomine aliquod munusculum offerendi non illud quidem dignum tuo ingenio tuaque doctrina, at quod meum in te animum gratissimum meumque officium testetur. Nunquam evanescet ex animo meo memoria illius biennii iucundissimi, quo mihi quoque licuit in gymnasio Vesaliensi tuis auspiciis florenti tirocinium ponere muneris scholastici. Tu igitur, qua es humanitate, quae quanta sit in te melius me nemo scit, hanc *δόσιν ὀλίγην τε φίλην τε* noli aspernari. Quumque per multos annos tuis discipulis carmina homerica interpretatus sis atque poetae illius divini ingenium indolemque habeas cognita atque perspecta, haud alienum mihi est visum tibi dicare aliquid ex his studiis homericis tot virorum doctorum ingeniis celebratis repetitum. Qua in re confido ut antea, quum mihi tecum familiariter vivere et tua tuorumque suavissima consuetudine uti liceret, benignissimum te mihi praebuisti, sic te nunc quoque eadem indulgentia de me atque de hac opella iudicaturum. Ante hos quinque annos inchoavi commentationem de XXIV Iliadis rhapsodia, eam longius persequi tibique meorum collegarum nomine dedicare constitui. Demonstrare autem conatus sum illa commentatione hanc postremam Iliadis rhapsodiam, etiamsi multa in ea essent optime instituta, tamen antiquioribus carminum homericorum partibus non esse adnumerandam; idque quum aliis causis probari posse putavi, tum plurimum iis tribuendum esse censui, quae ex ipso orationis genere atque ratione essent repetitae. Qua quidem in re me non fugit in quam lubrica atque difficili re verser, nihilominus tua confisus indulgentia in eundem campum denuo descendi. Spero te, vir doctissime, meam operam si non utiliter, at non prorsus inutiliter positam esse iudicaturum.

Jam vero tu, si placet, quae tibi dicavimus, lege benigno animo. Vale nosque ama.

In postrema dissertationis prioris parte exemplo ut mihi quidem videbar luculentissimo demonstrare conatus sum haud raro imitatores illos vatum antiquissimorum parum scite et apte versus ex vetustioribus carminum homericorum partibus depromtos in sua carmina recepisse. Liceat mihi de eadem re hoc loco paulo copiosius disputare. Dixi ad v. 338 me coniunctione illa *Πηλειώνα δ᾽ἱκέσθαι* offendi. Contra O. Jaeger antea Meursensis, nunc Coloniensis *) protulit haec: „Uhland hat in Herzog Ernst die Wendung: „thronan dich schleppen:“ sie ist gebildet nach bergan und ähnlichen Ausdrücken. Ich wüsste mich keines Uhland'schen oder auch anderen Gedichtes zu entsinnen, wo der Ausdruck thronan sich fände: solchen Beispielen gegenüber gestehe ich, dass sich mir der Beweis aus den *ἅπαξ εἰρημένα* bei Homer auf Null reducirt.“ Eius modi exempla sine dubio ex nostro sermone repetita etiam plura congeri poterant. Goethius quidem summus ille noster poeta aliquo loco scripsit: hausan, quod num quis praeter eum habeat, dubito. At de re vereor ne parum caute atque considerate iudicaverit vir doctissimus. Equidem tum tribus verbis hanc rem transigendam neque accuratius indicandum esse duxi, quid esset, quo mea dubitatio excitaretur. Nunquam hanc locutionem inter illa *ἅπ. εἰ.* numerandam esse contendi. Quis nesciat cum permultis vocabulis particulam encliticam *δε* coniunctam apud Homerum inveniri. Confer si placet: *ἀγρόνδε, Αἴγυπτόνδε, ἄιδοσδε, ἅλαδε, ἄστυδε, βούλυτόνδε, ὅνδε δόμονδε, δόμονδε, Δουλίχιόνδε, Θρῄκηνδε. ἡμέτερόνδε, θάνατόνδε, θῶκόνδε, Ἰθάκηνδε, κλισίηνδε. Κρήτηνδε, Κύπρονδε, λέχοσδε, Λυκίηνδε, μέγαρόνδε, οἶκόνδε, Οὔλυμπόνδε, Παρνησόνδε, πεδίονδε, πέδονδε, πόλινδε. ποταμόνδε,*

---

*) Ueber die Stelle Il. VI 168 und ihren Werth für die Lösung der homer. Frage. Moers 1863. Progr. p. 15. Anm. 7.

Πυθώδε, τέλοςδε, Τροίηνδε, ὑμέτερονδε, ὁσμίνηνδε, Φθίηνδε, φόβονδε, φόωσδε, χέρσονδε, χορόνδε, Ex his porro locutionibus plus una semel modo occurrit, neque quisquam ea offendatur aut miretur, si Homerus etiam multo plura alia finxisset. Aliud autem est particulam *δε* coniungere cum nominibus personarum, hoc neque Homerus fecit neque nostrorum poetarum si quis scriberet Friedrichan vel Conradan, vituperationem opinor effugeret. Nam quod ii poetae epici, qui postea principi illi poetarum quodammodo addicti omnia, quae homerica esse viderentur, imitatione effinxerunt, hoc quoque sunt imitati, ea re haec mea dubitatio non tollitur. *) Jam si quaerimus, unde hanc miram formam noster sumpserit, ad eandem denuo deducimur rationem, qua motum multa hunc poetam minus recte instituisse demonstrasse nobis videmur. Rectissime Joh. Ern. Ellendt **) contendit: „ich glaube die Quelle entdeckt zu haben, aus der diese wunderliche Form entsprungen ist. *X* 214 steht nämlich ganz normal *Πηλείωνα δ' ἵκανε.*" Haec verba sine dubio venerunt nostro in mentem atque adeo in aures iisque quin uteretur sibi temperare non potuit.

Verum redeamus, unde degressi sumus. Haud raro fieri videmus, ut homines suis viribus diffisi, si quid vel scribere vel canere in animum induxerint, anxie aliena praesidia atque auxilia circumspectent, quibus in sua re gerenda utantur. Quod quam late pateat, quicunque pueris erudiendis operam dant, quotidie fere cognoscent, inprimis si quid discipuli ipsi scribere sunt iussi suasque ipsorum cogitationes et sententias proferre, nedum si alio ac patrio sermone, verbi causa latino utantur. Jam enim ii qui tardiore sunt ingenio omnia quae ubique et apud veteres et apud recentiores de eadem similivere sunt disputata, conquirere atque in suum usum convertere student, quamquam plus semel ipsi, dummodo omnes ingenii mentisque vires velint contendere, vel meliora vel aeque bona conficere possunt. Difficillimum autem esse omnes facile concedent sic ponere totum, in quo non hoc vel illo loco perspiciatur non omnia apte inter se cohaerere; plus uno loco apparebit transitus parum commode esse institutos, sententias inter se minus esse copulatas, non unum omnium verborum esse colorem, denique totum non esse uno quasi impetu atque uno tenore, ut aiunt, prolatum. Cui conditioni quin similis fuerit poetarum illorum, qui vates illos antiquissimos secuti sunt, conditio non dubito. Huc accederet necesse erat altera quoque difficultas, quam non parvi esse aestimandam arbitror. Illis enim temporibus, quibus carmina homerica litteris opinor nondum erant consignata atque perscripta, poetas qui nova id genus carmina pangebant sine dubio alia quoque carmina memoria, qua multum valebant, tenuisse consentaneum est. Quid mirum multos eiusmodi poetas, qui multum valerent memoria, ingenio arteque poetica non tantum valerent, ex antiquioribus carminibus, quorum magnam partem edidicerant, multa apte, quaedam minus apte repetivisse atque in sua carmina inseruisse? Neque tamen semper in promptu erit diiudicare certis atque firmis argumentis, si qui versus saepius inveniuntur, quo quidque loco proprie sit positum, quo loco repetitum; nam ut modo commemoravi, non semper temere atque leviter illos poëtas egisse concedendum est, at plus semel gravissimis argumentis huius vel illius versus propria atque genuina sedes poterit demonstrari. Tales vero locos in hac quoque rhapsodia, de qua nunc agere mihi propositum est, investigari posse persuasum mihi est. Atque bene evenit, quod hi loci sunt eiusmodi, ut illo artificio, quod nescio an nimis saepe atque levius interdum a viris doctis usurpatum sit, removeri non possint. Etenim si tale quid offendit, ii qui omnes naevos summi illius poetae tollere cupiunt, plerumque eiusmodi versus esse male atque inepte insertos, interpolatos affirmant eosque, vel si connexus sententiarum repugnat, proxi-

---

*) Prudentissime, ut solet, iudicavit de hac re Bekker homer. Blätter p. 191. Anm: einzeln steht *Πηλειώναδε*, was Apollon. Rhod. nachgebildet hat in *Ἀλκίνοονδε* 4, 1193 und *αὐτοκασιγνήτηνδε* 3, 647.

**) Drei homer. Abhandlungen, Leipz. 1864 p. 29. Anm.

mos quoque versus delere non dubitant. Qua in re parum caute illi quidem secum commemorasse videntur, utrum verisimilius sit eiusmodi versus in carmina plena atque perfecta esse inculcatos anne statuendum sit totam rem ab poeta minus bono perverse esse institutam.

Antequam autem ad hanc rhapsodiam redeamus, liceat mihi de aliis quibusdam locis, qui mihi legenti occurrerunt extra causam, ut aiunt, quae mea sit sententia tribus verbis proponere. Atque primum quidem hoc quoque loco libet repetere, quod quondam de loco quodam Odysseae difficillimo ut videtur interpretatu proposui. Et est illius loci interpretatio difficillima, si omnia esse optime atque pulcherrime instituta statuerimus. Sin autem concesserimus quosdam locos homericos nullo modo posse explicari, si fatendum est plus semel non bonum illum Homerum, sed posteriores istos rhapsodos dormitasse, facillime ex artificiosissimis illis atque subtilissimis, quibus ab interpretibus irretiti tenemur, laqueis nos expediemus. Quod ne temere videar contendisse, lege si placet ω 408. Ulixes procis occisis postridie eius diei mane oppidum reliquerat, ut Laertem senem patrem conveniret. Cui posteaquam quis esset aperuit, ad villam se conferunt, ubi Telemachum cum pastoribus illis fidis, qui una ex oppido excesserant, inveniunt coenaque apparata accumbunt. Quo facto Dolius servus advenit cum filiis ab anu illa Sicula advocatus. Qui simulatque dominum dilectissimum conspexerunt atque agnoverunt, primo quidem consistunt obstupefacti inopinato adspectu. Ulixes autem leniter increpans senem alloquitur: ad coenandum, inquit, conside, parcite stupori, diu vos coenaturi expectavimus.

Tum vero senex domini manus exosculatur eumque summo gaudio affectus salutat et quaerit, utrum iam Penelopa uxor de coniugis adventu sit certior facta an nuntius sit mittendus. Cui respondet Ulixes 407: *ὦ γέρον, ἤδη οἶδε· τί σε χρὴ ταῦτα πένεσθαι*; iam sequitur is versus quem supra commemoravimus 408: *ὣς φάθ'· ὁ δ' αὖτις ἄρ' ἕζετ' ἐυξέστου ἐπὶ δίφρου.* At Dolius antea nondum consederat. Nihilo autem minus hanc difficultatem gravissimam ab interpretibus facillimo negotio remotam deprehendemus. Qua in re quomodo sese gesserint, iam mecum, si placet, recognosce: quo facto statuito illaene explicandi rationes sint probandae an longe alia via sit incunda, quae omnibus illis artificiis subtilioribus spretis atque neglectis, nodum illum indissolubilem discindamus. Apud scholiastam et apud Eustathium nil de hoc loco invenimus. Contra J. U. Faesium non fugit haec difficultas. At qui sese expedivit! Coniiciendum esse ait poetam his verbis significare voluisse Dolium antea quoque iam consedisse. Ipse quidem non potest non continuo confiteri hac explicatione difficultatem non removeri. Addit enim: wozu sich aber im Vorhergehenden trotz der Aufforderung keine schickliche Stelle findet. Alteri illi difficultati, quam Faesius premit, non multum tribuerim. Nam 385 Laertes Ulixes Telemachus *ἑξείης ἕζοντο κατὰ κλισμούς τε θρόνους τε.* Dolius autem considit *ἐυξέστου ἐπὶ δίφρου* itemque eius filii. Suspicandum esse ait illa sedilia generis melioris iam omnia ab hospitibus fuisse occupata, praeterea Dolium eiusque filios sine dubio viliorbus illis sedilibus fuisse contentos. Quam quidem causam mihi certe non probabit, imo vero illud discrimen a poetis, qui metrorum necessitate numerisque erant adstricti, plus semel est neglectum.

Similem viam ingressus est Car. Fr. Ameis, quamquam h. l. recte laudat ρ 602. Per se patere ait Dolium Ulixi hortationem 394 secutum esse ilico, sed paululo post 397 denuo exsiluisse itaque in simili re Telemachum α 119 et Penelopen ψ 207 facere. At his quos affert locis vereor, ne nil probetur. Idem modestiam Dolii et filiorum Dolii laudat. Addit omnino in altera Odysseae parte narrationem brevius atque astrictius esse institutam. Mihi quidem nil minus apte h. l. fingi posse videtur, quam quod affirmant Dolium, summo gaudio atque laetitia, quod tandem post longam absentiam dominum unice dilectum conspexerat reversum, defixum paene atque obstupefactum continuo dicto audientem consedisse ad coenam, tum vero extemplo eiusdem dicti immemorem surrexisse dominumque esse complexum. Num filii quoque Dolii consederunt et denuo surrexerunt patris exemplum secuti?

Prudentius igitur atqne cautius iudicavit Henricus Düntzerus, qui poetam h. l. accusat negligentiae, quum antea nondum sedisset Dolius. At quae negligentia! Vellem dixisset somnolentiam. Pravo enim iste studio inductus alienos versus in suam rem convertendi quemvis versum, quem satis quadrare opinabatur, suo carmini intexuit. Velut h. l. versum quem memoria tenebat recepit ineptissime. Propria enim et genuina eius sedes est ρ 602 atque ibi omnia bene se habent. Nam Eumaeus, qui antea sederat, denuo consedisse narratur. Hoc vero loco non excusabimus poetam confugientes ad illam reticentiam homericam, concedemus potius hunc poetam suo ingenio diffisum pannos undique desumtos male vesti, quam ipse confecerat intexuisse tam inficete, ut furtum ita non posset tegere, ut in ipso furto deprehendatur.

Adiungamus exemplo Odysseae alium locum ex Iliade desumtum, qui et ipse interpretes male habet. Quum Achivi proelio victi Nestore auctore per legatos constituissent Achillis iram placandam esse, eiusdem Nestoris iussu tres legati eliguntur Phoenix et Aiax et Ulixes, duo iis adduntur praecones I 168—170. Nihilo autem minus legimus de his tribus vel quinque hominibus promiscue modo pluralem, ita uti erat opus, modo dualem: 178 *ὡρμῶντ'*, 182 *τὼ δὲ βάτην*, 183 *εὐχομένω*, 185 *ἱκέσθην*, 186 *εὗρον*, 192 *τὼ δὲ βάτην προτέρω*, 193 *σtὰν δὲ*, 196 *τὼ καὶ δεικνύμενος*, 197 *χαίρετον· ἦ φίλοι ἄνδρες ικάνετον*, 198 *φίλτατοί ἐστον*, 204 *οἱ γὰρ φίλτατοι ἄνδρες ἐμῷ ὑπέασι μελάθρῳ*. Rem sane miram atque difficilem explicatu.

Henr. quidem Düntzerus hanc difficultatem facillimo sustulit negotio; omnes enim versus, in quibus est dualis, qui hic locum non habet, audacissime eiiciendos esse statuit. Delet vv. 182—185, 192, 195 -199.

Aliam viam ingressus est J. U. Faesius. Phoenicem ait quodammodo ad viam monstrandam (erat nempe illa difficilior inventu) duobus legatis additum esse, fortasse eum iussum esse ante ceteros ad Achillem sese conferre, eo pertinere quod postea dualis usurpetur. Quam rem ut ita explicandam esse opinaretur, adductus est sine dubio auctoritate Alexandrinorum, quos haec difficultas non fugerat, **) eamque simili ratione explicaverant, quidam ex iis 185 *ἴκοντο*, 194 *τούς* receperant, reliquae vero formae dualis non tam facile poterant mutari. Aliter de hac re iudicavit H. Düntzer in editione Iliadis ad usum discipulorum destinata, etenim ad I 128 dicit: „der Dual hier 185, 192 und 197 f., da der Dichter nur an die beiden Hauptgesandten Odysseus und Phoenix denkt.“ Quae explicatio quam sit lubrica nescio an inde potissimum perspiciatur, quod iam multo ante Köppen ***), qui in eandem fere sententiam disputavit, contendit: esse veri simillimum duali significari Ulixem et Aiacem, ita ut poeta partes Phoenicis secundas fuisse statuat. At ille quidem quod altera dat manu, statim adimit altera. Addit enim: hoc quidem repugnare versibus 168, 223, aliis.

At de his locis aliter esse iudicandum quis est quin videat? Atque primum quidem unde colligitur Phoenicem duobus legatis comitem esse additum neque ei auctoritatis tantum dari, quantum Ulixi et Aiaci? Nam ex verbis Nestoris 168 *Φοῖνιξ μὲν πρώτιστα διίφιλος ἡγησάσθω* hoc certe elici nullo modo poterit, imo vero multum tribui videtur Phoenici, cuius potissimum auctoritate commotum Achillem precibus Achivorum obtemperaturum veri simile est. Nihil autem magis insulsum quam statuere Phoenicem duobus aliis prius ad Achillem adisse, hoc certe dicere debuit poeta. Nam qui factum sit, ut Phoenix Myrmido, quem postea Achilles retinet, apud ceteros esset Graecos, id explicare nostrum non est, id ita esse is, qui nonam rhapsodiam composuit,

---

*) Aristarch. Paderborn 62. p. 145.

**) cf. schol. ad I 182, 135, 193, 197.

***) Erklärende Anm. zum Homer. III Hannov. 1790 p. 182.

finxit suo Marte. Omnibus igitur istis audacissimis athetesibus et subtilissimis explicationibus contemtis et neglectis confitendum potius est h. h. perverse aliquoties dualem esse usurpatum de tribus vel si duos caduceatores adnumeraveris de quinque hominibus. Contra recte res sese habet in extrema rhapsodiae parte; quamquam enim Phoenix apud Achillem remanserat, duo igitur erant legati, tamen habes, quia duo aderant praecones, semper pluralem. Cf. v. 656. *ἴσαν πάλιν, ἦρχε δ'Ὀδυσσεύς*, 669 *γένοντο*, 670 *τοὺς*, 688 *εἰσὶ καὶ οἵδε τάδ' εἰπέμεν, οἵ μοι ἕποντο Αἴας καὶ κήρυκε δύω πεπνυμένω ἄμφω.* Jam si quaerimus qui factum sit, ut tam perverse hic poeta modo duali modo plurali uteretur, idem forsitan statuendum sit, quod supra contendimus. Nam id quidem mihi extra omnem dubitationem positum esse videtur, quin si quis poeta ipse poetico afflatu instinctus versus fundat, talia proferre non possit. At si cui quidam versus similis cuiusdam rei narrationem continentes ante oculos atque adeo ante aures observabantur, quos vel imitari vel recipere posset, facile potuit accidere, ut gravius erraret Atqui omnes fere illi versus, quibus offendimur, ex aliis rhapsodiis sunt depromti. Cf. ad 182 *Α* 327 *τὼ δ'ἀέκοντε βάτην παρὰ θῖν'ἁλὸς ἀτρυγέτοιο*, et *Α* 34 *βῆ δ'ἀκέων παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης*, qui versus est de duobus praeconibus, qui Agamemnonis iussu Briseidem ab Achille abducunt; vocabulum *ἀέκοντε* quod in hunc locum non quadrat, prudenter hic omisit, dualem retinuit imprudenter; indidem est desumtus v. 185 = *Α* 328, v. 186 initium = *Α* 319, v. 192 prius hemistichium invenies *Κ* 469, ubi de Ulixe et Diomede agitur; ad v. 96 cf. *δ* 59 *τὼ καὶ δεικνύμενος προσέφη ξανθὸς Μενέλαος*, alloquitur autem ibi Menelaus Telemachum et Pisistratum. Jam satis liquere puto, quo quisque versus loco aptius sit positus.

Atque hoc quidem satis constat in prima Odysseae rhapsodia haud paucos esse locos, unde appareat eius auctorem plus semel parum prospere alios versus homericos repetivisse. Nam quin in versu illo *α* 29 epitheton *ἀμύμων* in Aegisthum minus quadret, quadret optime in Antilochum, Nestoris filium, adolescentem amabilem et iucundum *δ* 187, quis dubitet? Recte de eo loco iudicavit Hennings *), de aliis qui sunt multi ex primis quatuor Odysseae libris egit H. Düntzerus **) Addam unum, quo offendor. Mentes, dux ille Taphiorum, cuius personam induerat Minerva, ut Telemachum Ulixis filium et cohortaretur et confirmaret, posteaquam Telemachus exposuit a procis matris miserrime et turpissime rem familiarem atteri neque ullam apparere spem salutis, magnum profecto esse affirmat desiderium Ulixi absentis, qui manum allaturus esset procis. Jam vero pergit: 255 *εἰ γὰρ νῦν ἐλθὼν δόμου ἐν πρώτῃσι θύρῃσιν ‖ σταίη ἔχων πήληκα καὶ ἀσπίδα καὶ δύο δοῦρε ‖ τοῖος ἐὼν, οἷόν μιν ἐγὼ τὰ πρῶτ' ἐνόησα.* Quicunque haec verba legerit, putabit iam sequi descriptionem magni alicuius facinoris, quo singularem praestiterit virtutem gloriamque insignem paraverit Ulixes. At quantopere hic spem nostram fefellit! Sequuntur verba 258 *οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ πίνοντά τε τερπόμενόν τε, ‖ ἐξ Ἐφύρης ἀνιόντα παρ' Ἴλου Μερμερίδαο* 265 *τοῖος ἐὼν μνηστῆρσιν ὁμιλήσειεν Ὀδυσσεύς, ‖ πάντες κ'ὠκύμοροί τε γενοίατο πικρόγαμοί τε.* Quae sententia mihi quidem parum accommodata esse videtur ad hunc locum. Nam ex ea virtute, quam Ulixes praestiterat coenando ac potando, non poterat coniici, qualem se praebiturus esset in pugna belloque. Tale autem aliquid h. l. erat praedicandum, quum ei certamen esset ineundum cum multis et robustis adolescentibus, qui quae per iniuriam occupaverant, ea per vim defendere essent parati. Jam confer si placet eum, quem hic imitatus est locum *δ* 341 (*ρ* 132 sqq.) *αἲ γάρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον ‖ τοῖος ἐών, οἷός ποτ' ἐυκτιμένῃ ἐνὶ Λέσβῳ ‖ ἐξ ἔριδος Φιλομηλείδῃ ἐπάλαισεν ἀναστὰς, ‖ κὰδ δ'ἔβαλε κρατερῶς, κεχάροντο δέ πάντες Ἀχαιοί ‖ τοῖος ἐών* etc. ***) En habes specimen magnae

---

*) Hennings: über die Telemachie, Jahn Ann. Suppl. 1858 p. 135 sqq.

**) Die Bedeutung der Wiederholungen für die hom. Kritik, Jahn Ann. 1863 p. 729 sqq.

***) Perperam iudicavit Hennings l. l. p. 189: *δ* 341 – 346 scheinen den Versen *α* 253—267 nachgebildet zu sein.

fortitudinis atque virtutis, unde sperare liceat, si Ulixes pari corporis robore praeditus rediisset, fore ut mox procos nuptiarum poeniteret. Eodem pertinet Nestor de rebus, quas olim gesserat, praedicans. Nusquam ille quidem dicit: utinam tantis viribus uterer, quantis tum florebam, quum bene potavi atque comissatus sum, sed quum certamine singulari *μήκιστον καὶ κάρτιστον κτάνον ἄνδρα* *H* 124, et *ὅτ' ἐγὼ κτάνον Ἰτυμονῆα* *Λ* 672., quum ludis funebribus in omni certaminum genere victoriam reportavi *Ψ* 633 sqq., minus apte *ξ* 468. 503. Verum ut tandem aliquando ad postremam Iliadis rhapsodiam, de qua disputare instituimus, revertamur, poeta, qui illam composuit, et ipse plus semel nimia cupiditate aliena in suum usum convertendi occaecatus peccavit gravissime. Cuius rei exemplum vel luculentissimum in priore huius dissertationis parte ostendisse mihi visus sum. Contra Henr. Düntzerus partim opinor, ne postremae Iliadis rhapsodiae, cuius olim susceperat patrocinium, defensionem relinqueret, partim quo plures in quatuor primis Odysseae libris demonstraret versus aliunde depromtos, contendit *): „die Beschreibung des Bettmachens und Niederlegens *δ* 296—305 scheint nach *Ω* 643—7, 673—6 gemacht zu sein; ja zu dem *ἐκ δὲ ξείνους ἄγε κῆρυξ* dürfte die in ganz andrer Weise erfolgende Erwähnung des *κῆρυξ* des Priamos 674 Veranlassung gegeben haben.“ Quod quum diceret, vereor ne sano illo atque sobrio iudicio, quo ceteros locos pertractavit, prorsus destitutus fuisse videatur. Evolve totam Iliadem, perquire omnes eius versus, si unum inveneris locum, quo *κλισίαι* Achivorum domus vocantur, Düntzerum h. l. rectum vidisse statuito. At hoc loco commemoratur *αἴθουσα* 645, *μέγαρον* 646, *πρόδομος δόμου*, quae vocabula optime quadrant in regiam et Menelai *δ* 296 sqq. et Alcinoi *η* 336 sqq., non quadrant in Achillis tabernaculum. Per se igitur patet horum versuum sedem propriam esse in Odyssea, maleque eos inde ab hoc poeta, qui eorum quum similem describeret rem reminisceretur, hic esse prolatos.

Liceat mihi redire ad locos quosdam huius libri, de quibus in priore dissertationis parte agere oblitus sum. Legimus in v. 377 *πέπνυσαί τε νόῳ*, at nusquam alibi apud Homerum hoc verbum coniungitur cum substantivo **), habet vim sapiendi, neque *νοῦς* neque *θυμός* neque *φρένες* neque ullum aliud eiusmodi vocabulum adiicitur. cf *Ψ* 440 *ἐπεὶ οὔ σ' ἔτυμόν γ' ἔφαμεν πεπνῦσθαι Ἀχαιοί*, *κ* 495 *τῷ καὶ τεθνηῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια ‖ οἴῳ πεπνῦσθαι*, *φ* 210 *ἐπεὶ τά περ ἄλλα μάλιστα ἀνθρώπων πέπνυσο*, participium *πεπνυμένος* sexcenties invenitur, nusquam adiicitur eiusmodi substantivum; *Τηλέμαχος*, *Ἀντίνοος* alii vocantur *πεπνυμένοι*, dicuntur *πεπνυμένα βάζειν* *I* 58, *δ* 206, *ἀγορεύειν* *τ* 352, *π. μήδεα εἰδώς* *H* 278, *β* 38, *δ* 696, *χ* 361, *ω* 412; *π. εἰδέναι* *ϑ* 586, *νοῆσαι* *σ* 230. Ea igitur sine dubio huius erat verbi vis, ut in ea ipsa significatio sapiendi inesset, eique aliud vocabulum addere supervacaneum atque molestum videbatur. Simile quiddam dici potest de v. 171 *θάρσει, Δαρδανίδη Πρίαμε, φρεσὶ μηδέ τι τάρβει*, plus vicies verbum *θαρρεῖν* est apud Homerum, nusquam vero adiicitur, hunc locum si exceperis, neque *φρεσί* neque *θυμῷ*, semper absolute ut aiunt est positum. Similis unus locus *Π* 242 *θάρσυνον δέ οἱ ἦτορ ἐνὶ φρεσί*, at hoc loco *ἐνὶ φρεσί* non pendet ex v. *θαρσύνειν*.

409 *προὔθηκεν*. Verbum compositum apud Homerum rarissimum, nulla huius verbi forma nisi *α* 112 *τραπέζας ‖ νίζον καὶ πρότιθεν*, nam de forma *προθέουσι* *A* 291 res parum liquet, neque tamen huic rei magnum tribuerim; at hoc loco expectaremus praepositionem *παρά*, *παραβάλλειν* vel *παρατιθέναι*, haec enim duo vocabula usurpantur, si quid cui comedendum apponitur, atque de hominibus quidem *παρατιθέναι*, de bestiis *παραβάλλειν*. Cf. si placet haec exempla verbi *παρατιθέναι*: *I* 90 *παρὰ δέ σφι τίθει μενοεικέα δαῖτα*, *T* 316 *λάρον παρὰ δεῖπνον ἔθηκας*, *Ψ* 810 *δαῖτ' ἀγαθὴν παραθήσομεν*, *α* 139 *σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκεν* = *δ* 55, *η* 175, *κ* 371, *ρ* 94. 259;

*) Jahn ann. 1863. p. 735.

**) cf. Alb. Fulda: Untersuchungen über die Sprache der hom. Gedichte I. Duisb. 1865, p. 126.

α 141 *δαιτρὸς δὲ κρειῶν πίνακας παρέθηκεν* = δ 57; α 192 *βρῶσίν τε πόσιν τε παρτιθεῖ*; δ 65 *νῶτα βοὸς παρὰ πίονα θῆκεν*, ε 196 *νύμφη δ' ἐτίθει πάρα πᾶσαν ἐδωδήν*, 199 *τῇ δὲ παρ' ἀμβροσίην δμωαὶ καὶ νέκταρ ἔθηκαν*, ξ 248 *πὰρ δ' ἄρ' Ὀδυσσῆι ἔθεσαν βρῶσίν τε πόσιν τε*, ο 76 *ὀπτήσας δ' ἄρα πάντα φέρων παρέθηκ' Ὀδυσῆι*, ο 506 *ἠῶθεν δέ κεν ὔμμιν ὁδοιπόριον παραθείμην* ‖, *δαῖτ' ἀγαθὴν κρειῶν τε καὶ οἴνου ἡδυπότοιο*, π 49 *κρειῶν πίνακας παρέθηκε συβώτης* ‖ *ὀπταλέων*, ρ 258 *τῷ παρὰ μὲν κρειῶν μοῖραν θέσαν* cf. υ 281, σ 118 *οἱ μεγάλην παρὰ γαστέρα θῆκεν*, 120 *ἄρτους ἐκ κανέοιο δύω παρέθηκεν*, υ 260 *πὰρ δ' ἐτίθει σπλάγχνων μοίρας*. A qua consuetudine unus modo, nisi fallor, locus recedit Θ 188. *ὑμῖν πὰρ προτέροισι μελίφρονα πυρὸν ἔθηκεν — ἢ ἐμοί*, qui locus hac ipsa comparatione excusationem habet. Et exempla verbi *παραβάλλειν* habes haec: Ε 369 *παρὰ δ' ἀμβρόσιον βάλεν εἶδαρ* Ν 35, Θ 504 *παρὰ δὲ σφίσιν βάλλετ' ἐδωδήν*, δ 41 *πὰρ δ' ἔβαλον ζειάς*, omnes hi loci de equis; κ 242 *πάρ ῥ' ἄκυλον βάλανόν τ' ἔβαλεν καρπόν τε κρανείης* sociis Ulixis in sues mutatis.

428 *τῷ οἱ ἀπεμνήσαντο καὶ ἐν θανάτοιό περ αἴσῃ*, hoc compositum h. tantum loco, praeterea apud Hesiodum Theog. 503 *οἵ οἱ ἀπεμνήσαντο χάριν εὐεργεσιάων*. Atque huic *ἁ. εἰ.* in hac rhapsodia sane aliquid tribuendum esse censeo. Sexcenties fere verbo simplici usus est Homerus, hoc composito nusquam. 440 sqq. cento, in una tamen re, quam noster novavit, ab homerici sermonis consuetudine discrepat. Nusquam nisi h. l. invenies verbum *ἀναίσσειν* cum accusativo coniunctum, omnibus aliis locis, qui sunt permulti, absolute ut aiunt est positum. Quod quin eadem de causa sit factum, qua causa adductum hunc poetam saepius ab homerico verborum usu abductum esse vidimus, mihi quidem dubium non est. Obversabantur hic eius auribus versus quidam homerici, quos suos facere non dubitavit. V. 441 invenies Ρ 482, v. 442 parva, qua h. l. opus erat, mutatione facta depromsit ex Ρ 456. Ad v. 440 cf. Ο 106 et ν 198 *στῆ δ' ἄρ' ἀναΐξας*, ad alterum hemistichium Ψ 334 *τῷ σὺ μάλ' ἐγχρίμψας ἐλάαν σχεδὸν ἅρμα καὶ ἵππους*. E quibus versibus ut efficeret unum, hanc novam constructionem quam vulgo vocant excogitavit.

444 *οἱ δὲ νέον περὶ δόρπα φυλακτῆρες πονέοντο*. Offendor plurali *δόρπα*. Neque enim vocabuli *δεῖπνον* neque *ἄριστον* (quod quidem bis modo legitur Ω 124, π 2) neque *δόρπον* invenies pluralem apud Homerum. Repugnare videntur et is quem modo attuli et hi loci: Ι 65 *ἀλλ' ἤτοι νῦν μὲν πειθώμεθα νυκτὶ μελαίνῃ δόρπα τ' ἐφοπλισόμεσθα*, iidem versus Θ 502. 3. et Ι 88 *ἔνθα δὲ πῦρ κήαντο, τίθεντο δὲ δόρπα ἕκαστος*. Atque hoc quidem loco habes in schol. *δόρπον: Ἀρίσταρχος μετὰ τοῦ ᾱ δόρπα* eiusque auctoritatem h. l. editores iure suo sunt secuti. At illorum Iliadis locorum, quos modo protuli, duo repetiti sunt ex Odyssea, in qua nunquam non singularis est positus. Cf. si placet μ 291. 2. *ἀλλ' ἤτοι νῦν μὲν πειθώμεθα νυκτὶ μελαίνῃ* ‖ *δόρπον θ' ὁπλισόμεσθα θοῇ παρὰ νηῒ μένοντες*, δ 529. 574 *δόρπον θ' ὁπλισάμεσθ' ἐπί τ' ἤλυθεν ἀμβροσίη νύξ*. Jam si quis contenderit duobus illis Iliadis locis scribendum esse *δόρπον δ' ὁπλισόμεσθα* nil repugno, quum sine dubio leviusculae eiusmodi mutationes facile possent admitti; at nostro loco et I 88 illa mutatio locum non habet, quumque I 88 artissime cohaereat cum v 66, mihi quidem verisimilius est ibi quoque pluralem positum fuisse. Ceterum Düntzerus in Aristarcho totum illum locum I 66—90 itemque Θ 503 rejecit. Is vero poeta, qui postremam Iliadis rhapsodiam composuit, quum syllaba brevi opus esset, ab hoc antiquiorum poëtarum usu recessit.

459 *ἐξ ἵππων ἀπέβαινεν ἐπὶ χθόνα φώνησέν τε*. Obversabantur huic versus veluti Γ 265 *ἐξ ἵππων ἀποβάντες ἐπὶ χθόνα πουλυβότειραν*. vel Θ 492 *ἐξ ἵππων δ' ἀποβάντες ἐπὶ χθόνα μῦθον ἄκουον*. Quod hoc tantum loco forma verbi *ἀποβαίνειν* a praesenti vel infinitivo praesentis derivata invenitur, ei rei nihil sit tribuendum.

Ad v. 460 Faesius in ea quam instituit Iliadis editione in eam disputavit sententiam, ut diceret: tam expresse alias apud Homerum deum ne abeuntem quidem significare qui esset (unum

modo locum comparari posse *Φ* 284—297); attamen hoc loco id fieri noctu in uno homine eaque ipsa de causa, quod ceterorum ille deus oculos adspectumque vitare vellet. Qua de re nescio an aliter sit iudicandum, quum mecum reputo rhapsodiae quintae, in qua media luce dea Minerva familiarissime colloquitur cum Diomede, tertii decimi libri Odysseae, ubi eadem Minerva cum eo viro, quem praeter omnes videtur adiuvisse, Ulixe versatur, neque multum puto interesse, utrum abiens deus an antea aperiat qui sit. At aliud nescio an sit urguendum, quod Mercurius addit se non aditurum ad Achillem 462 *οὐδ' Ἀχιλῆος ‖ ὀφθαλμοὺς εἴσειμι· νεμεσσητὸν δέ κεν εἴη ‖ ἀθάνατον θεὸν ὧδε βροτοὺς ἀγαπαζέμεν ἄντην.* Haec dicentem fingere Mercurium eum poetam, qui modo Jovem fecerit loquentem ad Mercurium: 334 *σοὶ γάρ τε μάλιστά γε φίλτατόν ἐστι ‖ ἀνδρὶ ἑταιρίσσαι*! Haec dicere Mercurium qui modo aliquamdiu Priami auriga fuerit atque comes, qui postea eundem nocte intempesta excitet et usque ad vadum amnis reducat! Ceterum nisi forte quis contendit versum 464 esse delendum, antiquior quilibet poeta sententiam clausisset verbis *νεμεσσητὸν δέ κεν εἴη*. Praeter hunc locum ter occurrit apud Homerum, at illis locis ita est positum ut parenthetice adiiceretur. Cf. *Γ* 410 *κεῖσε δ' ἐγὼν οὐκ εἶμι-νεμεσσητὸν δέ κεν εἴη- κείνου πορσυνέουσα λέχος. Ξ* 335 *οὐκ ἂν ἔγωγε τεὸν πρὸς δῶμα νεοίμην ‖ ἐξ εὐνῆς ἀνστᾶσα, νεμεσσητὸν δέ κεν εἴη. χ* 488 *μηδ' οὕτω ῥάκεσιν πεπυκασμένος εὐρέας ὤμους ‖ ἕσταθ' ἐνὶ μεγάροισι· νεμεσσητὸν δέ κεν εἴη.* Noster reminiscebatur illius loci ex *Γ*, nisi quod pro simplicibus illis verbis *κεῖσε δ' ἐγὼν οὐκ εἶμι* posuit illa magis artificiosa *οὐδ' Ἀχιλῆος ὀφθαλμοὺς εἴσειμι*, quae apud Homerum nisi h. l. nusquam inveniuntur. — 465 *λάβε γούνατα Πηλείωνος* et 478 *χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα καὶ κύσε χεῖρας.* Quum Homerus narrat aliquem supplicem eius qui supplicat comprehendere genua, quum aliis utitur verbis, ut *ἅπτεσθαι γούνων* *), *ἱκάνεσθαι* **) et *ἱκάνειν* ***) *γούνατα, λίσσεσθαι* †) *γούνων, λιτανεύειν* ††) *γούνων* tum saepissime in ea re usurpat verbum *λαμβάνειν* atque ita quidem, ut aut sit coniunctum cum *λίσσεσθαι* aut sine eo verbo sit positum. Si adiunctum est *λίσσεσθαι*, habet Homerus participium verbi *λαμβάνειν*, formam finitam verbi *λίσσεσθαι*. Cf. hos locos *Ζ* 45 *λαβὼν ἐλλίσσετο γούνων, ζ* 142. *ἢ γούνων λίσσοιτο λαβὼν εὐώπιδα κούρην, κ* 264 *λαβὼν ἐλλίσσετο γούνων.* Qua in re nihil attinet quaerere, ex utro verbo pendeat genetivus. Saepius autem invenimus verbum *λαμβάνειν* nullo alio adiuncto, at nusquam non coniunctum cum genetivo *γούνων*. cf. Α 407. 500. 557, *Φ* 68, *κ* 323, *χ* 310. 342. 365. A quo usu quantopere duo isti loci, quos supra proposui, abhorreant sponte apparet.

467 *ἵνα οἱ σὺν θυμὸν ὀρίνῃς.* obversabatur *Ρ* 123 *Αἴαντι δὲ δαΐφρονι θυμὸν ὄρινε.*

Jam vero sequitur huius rhapsodiae pars longe pulcherrima, qua Priami cum Achille describitur congressus. Priamus enim ubi et ipse de curru desiluit, Idaeo foris relicto intrat domum Achillis, quem invenit intus cum duobus comitibus, a quibus non conspectus Achillis genua complectitur, exosculatur manus eumque per deos ipsiusque patrem obsecrat, ut magno pretio accepto Hectoris occisi corpus reddat. Patris commemoratione quum Achilles quoque misericordia sit motus, uterque flet Tandem ubi dolori satis est factum, Achilles erigit senem et admiratus fortem eius animum oblivisci iubet calamitatis, nam divinitus hominibus contingere dolores; ipsos quidem deos malorum esse expertes. Ex duobus doliis bonorum atque malorum Jovem tribuere hominibus suam cuique sortem. Peleum quoque a dis magnis ornatum esse beneficiis, sed malum ac-

*) *Α* 512, *Ο* 76, *Υ* 468, *Φ* 65, *Ω* 367, *ζ* 169, *χ* 339.
**) *Σ* 457, *γ* 92, *δ* 322.
***) *ε* 449, *η* 147, *ν* 231.
†) *Ι* 451, *Φ* 71, *χ* 337.
††) *κ* 481.

cessisse ad bona, filium brevi vitae spatio praeditum eumque absentem. Sic Priamum quoque olim fuisse fortunatum divitiis atque filiis, iam vero circum moenia perpetuas esse pugnas atque caedes. At sustineret dolorem, quum filium ab inferis excitare non posset. Cui quum breviter respondisset Priamus se antequam consideret, filium cupere videre, iam ostendit Achilles se Hectorem solvere esse paratum, id ut faceret a matre, quae deorum iussu venisset, sibi esse mandatum neque Priamum ipsum sine auxilio divino in castra Achivorum venturum fuisse. Desineret autem ipsius animum irritare, ne supplici manum afferret 470—570.

471 De aedibus iam supra est disputatum. Una cum Achille sunt in domo atque adeo in tentorio Automedon et Alcimus, infra quoque v. 574 iterum nominati; praeterea commemorantur *Τ* 392, ubi equos ad currum iungunt. Atque Automedontis quidem aliis quoque Iliadis locis plus semel fit mentio velut I 209. Contra Alcimi loco in Patroclea invenimus Alcimedontem *Π* 197, *Ρ* 467. 475. 481. 500, Laercis filium, qui quintae Myrmidonum cohorti praeficitur, qui Automedonten de Patrocli nece facit certiorem, qui ab Automedonte iubetur currum Achillis conscendere equosque illos praeclarissimos accipit regendos. In schol. ad *Ω* legimus haec: *ἡ διπλῆ ὅτι συγκέκοφε τὸν Ἀλκιμέδοντα Ἄλκιμον εἰπών.* cf. Eust. ed. Bas 1496, 5: *Ἄλκιμος - συγκοπεὶς ἐκ τοῦ Ἀλκιμέδων κατά τινας.* Cuius syncopes utinam vel unum atulissent exemplum. Sine dubio nihilo minus cuique erit persuasum hunc Alcimum eundem esse atque illum Patrocleae Alcimedontem neque tamen ita rem posse explicari, ut alterum nomen ex altero ortum esse arbitremur, nam in nomine *Ἄλκιμος* habes radicem *ἀλκ* adiecto suffixo cf. *Φρόνιμος*, *Φαίδιμος* alia, contra in nomine *Ἀλκιμέδων* vocabulum compositum. At facile potuit fieri ut huius nominis duplex forma proderetur, quarum altera ab eo, qui Patrocleam composuit, altera ab aliis est usurpata.

475 Ceterum tota hoc loco narratio paulo obscurius est instituta *ἕταροι δ' ἀπάνευθε καθείατο·* qui socii? *ἀπάνευθε* procul in eadem domo sive potius in eodem tentorio? duo modo *ποίπνυον παρεόντε.* Qua in re nescio an parum proprie usus sit vocabulo *ποιπνύειν*, quod vulgo de strenua quadam usurpatur actione, hoc vero loco quid faciant Automedon et Alcimus difficile sit diiudicatu. Düntzerus quidem affirmat *) eos in epulis fuisse occupatos Achilli ministrantes, quod unde collegerit non liquet, quum praecedant verba *νέον ἀπέληγεν ἐδωδῆς.* Armin. Köchly **) qui versum 476 delendum esse statuit, in v. 475 legendum esse censet *ἀπέληγον*, ne Achilles, antequam Hectoris corpus redderet, cibum gustasse videretur. Illum versum ut deleret, non motus est ea re, qua Alexandrinorum quidam sunt offensi, sed quia repugnaret iste et v. 129 et 601 sqq. Qua de re nescio an aliter sit iudicandum. Neutro enim loco comprobatur Achillem ex Patrocli caede cibum non sumpsisse, imo vero ipse in *Τ* quum postulasset, ut statim cibo non sumto pugna committeretur et Ulixes petivisset ut et ipse coenaret et alios coenare sineret, declaravit se iniuriam ultum demum cibum sumturum *Τ* 205 sqq. idemque postea, quum proceres Achivorum iterum idem orassent, responderat: *Τ* 306 *μή με πρὶν σίτοιο κελεύετε μηδὲ ποτῆτος ‖ ἄσασθαι φίλον ἦτορ, ἐπεί μ' ἄχος αἰνὸν ἱκάνει. ‖ δύντα δ' ἐς ἠέλιον μενέω καὶ τλήσομαι ἔμπης.*

480 Sequitur simile de quo Köchly quidem dicit ***): „der Eindruck, den er (Pr.) macht, wird durch jene charakteristische Vergleichung mit 3+3 Versen (480—482, 483=485) geschildert“.

*) Ueber das 24. B. der Il. Rhein. Mus. 1864. 3. p. 407.

**) Hektors Lösung. Zürich 59. p. 15. p. 8. „Zum ersten Male seit Patroklos' Tode geniesst Achilleus, zum ersten Male seit Hektors Tode Priamos Speise und Trank, Beide an einem Tisch: der Vater des Opfers hat die Gastfreundschaft des blutigen Mörders angenommen. Das ist mehr als Stillung des leiblichen Bedürfnisses.“ At vereor ne sibi ipse hanc oppositionem effinxerit vir doctissimus. Ceterum cf. Schol. ad 628: *ἡ διπλῆ, ὅτι καταχέχρηται τῷ στίχῳ· ὁ γὰρ Ἀχιλλεὺς ἤδη κεκόρεσται· λέγει γὰρ νέον δ' ἀπέληγεν ἐδωδῆς*“.

***) p. 15.

At, id quod iam in priore huius diss. parte dixi, de his rebus, quae ad aestheticam quam vocant referuntur, haud raro in utramque partem disputari, id in hunc quoque locum cadere videtur. Nam ex mea quidem sententia nil minus expressum, nil ieiunius hoc simili, versus vero 484 *θάμβησαν δὲ καὶ ἄλλοι ἐς ἀλλήλους δὲ ἴδοντο* exilis atque ineptus. Quinam sunt hi alii? Automedon et Alcimus? ceteri ministri? quos satis otiose nil agentes finxit poeta? Mihi quidem haec verba, quae forte in memoriam veniebant poetae, ut versus compleretur adiectae videntur esse. Cf. σ 320 *ὣς ἔφατ' αἱ δ' ἐγέλασσαν, ἐς ἀλλήλας δὲ ἴδοντο.*

In primis versibus orationis Priami nihil inest quod offendat, nam quod adiectivum *τηλίκος* in Odyssea quater, in Iliade hoc uno est loco (487), ei rei forsitan nihil tribuendum sit.

De vocabulo *περιναιέται* 488 Ellendt *) satis probabiliter coniecit id esse fictum ab hoc poeta ex *περιναιετάουσι* β 66, δ 177: *οἳ (αἳ) περιναιετάουσιν.* Idem affirmat **) verba *ἀπὸ Τροίηθε μολόντα* (492) esse facta secundum locum quendam Odysseae ι 38 *ἀπὸ Τροίηθεν ἰόντι*, nam *Τροίηθεν* nisi hoc loco non esse in Iliade, contra sexies usurpari in Odyssea. Equidem eius sententiae accedo, ita ut putem eum locum poetae obversatum fuisse, quod vero *Τροίηθεν* saepius in Od. invenitur, id facile ex ipsa rerum conditione explicatur, nam in Iliade narrantur quae ante ipsam urbem geruntur, contra in Od. multa, quae Graecis a Troia redeuntibus acciderant.

Versum 494 Köchly iudicavit sine iusta causa esse translatum ex v. 256. At si poeta non inepte repetivit v. 493=255, cur eidem non liceat repetere versum sequentem, quo quod priore dixerat comprobetur. Neque enim idcirco se perditum atque afflictum esse dicit senex Priamus, quod filios optimos genuerit, immo quod amiserit optimum quemque ea de causa se omnium mortalium infelicissimum praedicat. Quod vero ex quinquaginta illis filiis ***) undeviginti una mulier, Hecuba opinor, pepererat, id referendum esse videtur ad cyclicorum istam scientiam, quam in hac rhapsodia plus semel deprehendimus.

Quid significant verba: *ὃς δέ μοι οἶος ἔην*? sine dubio qui mihi unus supererat aut qui mihi unus erat maxime dilectus. Düntzerus †): „*οἶος* heisst einzig, ausgezeichnet vor allen und erhält seine nähere Bestimmung durch den folgenden Satz *εἴρυτο δὲ ἄστυ καὶ αὐτούς*. Richtig deuten demnach die Scholien *οἶος πρὸς τὸ σώζειν.*" Haec autem explicatio ab homerico sermone prorsus est aliena, illam si secuti erimus, forsitan statuendum sit rem parum perspicue esse expositam.

Versus deinde sequentes quum pangebat, ei in mentem venit Chrysem sacerdotem Apollinis cum amplis donis accessisse ad Agamemnonem, ut filiam redimeret. Cf. Α 12 *ὁ γὰρ ἦλθε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν || λυσόμενός τε θύγατρα φέρων τ' ἀπερείσι' ἄποινα.*

De v. 506 Ellendt ††) disputavit hoc tantum loco formam mediam verbi *ὀρέγειν* apud Homerum inveniri, similem esse numerum in μ 257 *χεῖρας ἐμοὶ ὀρέγοντας.*

Post aliquot versus sequitur oratio Achillis, in qua v. 514 ab Alexandrinis est eiectus, defensus ille quidem a Düntzero †††). Arm. Köchly, ut quaterniones versuum, quos in Priami quoque oratione investigavit, restitueret delet vv. 519—521, 532, 548, ex vv. 549 et 550 facit unum. Qua in re nescio an nimio artificiosam illam orationis formam reducendi studio inductus a vero aberraverit. Nam vv. 519—521 h. l. vix poterimus carere, de v. 532 idem dici non poterit, at dubito num ea causa satis sit magna, qua de causa hic versus deleatur, ex vv. 539 et 540 unum efficere audacius sit, expellere vero versum 548 quod misere sit conglutinatus nescio an sit temeritatis. Nam si omnes versus plus minusve apte ex aliis conflatos ex hac rhapsodia expelleremus, quot expellerentur! quotusquisque superesset! Tot enim sunt eiusmodi versus, ut si eos tantum re-

*) p. 32. — **) p. 29. — ***) cf. Ζ 244, Ε 474. — †) p. 409. — ††) p. 20. — †††) p. 411.

tineremus, quos poeta ipse fecit, totus rerum atque verborum contextus saepissime tolleretur. Quod vero addit „Es versteht sich, dass hier, auch abgesehen von dem Strophengesetz der elend gestoppelte Vers 448 fallen muss, er unterbricht auf unerträgliche Weise den nothwendigen Zusammenhang, in welchem auf die Begründung (wo πῆμα τόδ' eben Hektors Geschick bezeichnet) sofort die Nutzanwendung folgen muss." *), de ea re vereor ne parum recte iudicaverit. Achilles enim modo dixerat: te quoque antea beatum atque fortunatum fuisse accepimus, longe lateque dicunt te fuisse celebratum propter divitias et filios, simulatque autem hanc calamitatem dii attulerunt etc. Quam calamitatem? nimirum bellum, quo et divitiae sunt exhaustae et filii interfecti. Nam de immensis Priami opibus multis verbis disputavit eaeque bello sunt absumtae, τόδε πῆμα ad solam Hectoris necem referre opus non est. Retinendum igitur esse censeo v. 548.

Jam videamus res quasdam singulas in hac Achillis oratione. Inspice primum, si placet, v. 524 οὐ γάρ τις πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο; de vocabulo πρῆξις Faesi **) disputavit haec: „πρῆξις findet sich in der Iliade nur einmal im letzten Buch, öfter in verschiedenen Büchern und Partien der Odyssee und nur in dieser in der Bedeutung Geschäft (πρῆξις δήμιος und ἰδίη)." Et est sine dubio hoc vocabulum eiusmodi, ut si iam iis temporibus, quibus antiquiora Iliadis carmina canebantur, in usu fuisset, plus semel in Iliade inveniretur. Est autem hic versus compositus ex duobus, qui sunt in Od. δ 103 αἰψηρὸς δὲ κόρος κρυεροῖο γόοιο et κ 202 (568) ἀλλ' οὐ γάρ τις πρῆξις ἐγίγνετο μυρομένοισιν. De verbo ἐπεκλώσαντο supra egi ***) ceterum hoc quoque vocabulum Odysseae in qua septies invenitur est proprium. Adiice et hoc et πρῆξις indici vocabulorum Odysseae propriorum, quem L. Friedländer confecit diligentissime. Hic quoque versus ex duobus aliis est conflatus, atque prius quidem hemistichium est depromtum ex Od. α 17 τῷ οἱ ἐπεκλώσαντο θεοὶ οἶκόνδε νέεσθαι, alterum habes saepius X 31. 76.

Sequitur illa allegoria quae incipit a verbis (527) δοιοὶ γάρ τε πίθοι. Alexandrini monuerunt ex hoc loco fluxisse illud dolium, quod est apud Hesiodum (E 94). Miror veteres Ἡσιόδειον illum χαρακτῆρα, quem nonnullis locis indagaverunt solertissime, eum hoc loco non agnovisse. Ego quidem hanc allegoriam ad Iliadis aetatem non convenire puto. Ceterum hic locus idem habet initium atque fabula illa de duabus somniorum portis altera cornea, eburnea altera. Cf. τ 562 δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσιν ὀνείρων.

530 κύρεται. Verborum κύρω, ἐγκύρω ἐπικύρω, συγκύρω activas tantum formas habet Homerus, mediam non habet.

539, 540 sententia parum perspicue atque dilucide, ut mihi quidem videtur, expressa. Quae iam sequuntur de Priami magnis opibus atque divitiis, ea quoque mirum in modum sunt prolata. †) Hiscene verbis fortasse fines regni Troici designari putabimus? Lesbus insula nescio an nominetur propter mulieres, quas inde rapuit atque abduxit Achilles I 129.

544. Quattuor adverbiorum ἔξω εἴσω ἄνω κάτω illa sunt frequentissima apud Homerum, inprimis εἴσω, haec invenies perquam raro; κάτω P 136, ψ 91, ἄνω praeter hunc locum λ 596, λᾶαν ἄνω ὤθεσκεν.

553. Cf. quae C. Lachmannus disputavit ††): „so ist die Anrede διοτρεφές ohne weiteren Beisatz vier mahl in den letzten Büchern Φ 75, Ψ 594, Ω 553. 635, ein mahl im achten Liede I 229."

---

*) p. 15. Accedit ad K. opinionem Lud. Friedländer in Jahn Ann 1861 I p. 34: „V. 548 verdankt seine Einschiebung offenbar nur einem plumpen Missverständniss des πῆμα τόδε, was ohne Zweifel nur auf Hektors Tod zu beziehen ist." At ne haec quidem verba me commovent, ut sententiae ab Arminio Köchly propositae assentiendum esse censeam.

) Od. prooem. p. XV. — *) Diss. pr. p. 14. — †) cf. Düntzer p. 413. — ††) p. 82.

Vv. 556. 7 reiecti sunt ab Alexandrinis; 558 *οὗτος ὁ στίχος οὐχ εὑρέθη ἐν τῷ παλαιῷ* Reiecerunt illos *'ὅτι ἀνάρμοστοι τῷ προσώπῳ αἱ εὐχαὶ καὶ ἐπαυτόφωρος ἡ ὑπόκρισις.* Quae causae nescio an satis magnae sint atque graves. Jam aliquoties in hac rhapsodia sumus commonefacti primae, in qua Chryses cum amplissimis donis adit summum Achivorum regem, ut donis acceptis filiam reddat, hoc quoque loco seu nostro obversabantur seu, ei qui hos versus adiecisse putatur illa', quae sunt *Α* 19. 20.

Non urgebo, quod fortasse 560 verba *μηκέτι νῦν μ' ἐρέθιζε* sine iusta atque probabili irae causa sunt posita, mihi quidem ex oratione Priami nil elici posse videtur, qua re adeo animus Achillis ira exarsisse putandus sit. *) At offendor vv 565—7. Qua in re mihi quidem dubium non est, quin is qui hanc rhapsodiam composuit eodem pravo studio, quo saepe in errorem est deductus, alienos versus in suum carmen recipiendi, lapsus sit. Reminiscebatur opinor versuum quorundam Odysseae ex *ψ*, ubi Penelopae, quae ut maritum tentaret, simulaverat, lectum quem ille ipse aliquando esset fabricatus aliunde esse translatum, Ulixes respondit: Quis hoc fecit? difficile esset omnibus excepto deo, *ψ* 187 *ἀνδρῶν δ' οὔ κέν τις ζωὸς βροτὸς οὐδὲ μάλ' ἡβῶν ‖ ῥεῖα μετοχλήσειεν.* Ibi rem bene se habere sponte apparet. Jam confer hunc locum, quae facit loquentem Achillem! Deorum aliquis te ad naves Achivorum perduxit, mortalis enim non audeat ne florens quidem iuventute ad castra adire. Neque enim fugiat custodes neque facile claustrum portae refringat. Hoc vero loco verba *οὐδὲ μάλ' ἡβῶν* minus apte esse posita quis negaverit? seiuncta sunt ab iis ad quae pertinent *ῥεῖα μετοχλήσειεν*, coniuncta cum iis, ad quae non quadrant *οὐδὲ λάθοι.* Nimirum ad custodes fallendos quid opus robore atque iuventute? Neque fugit haec difficultas Arminium Köchly eamque ita solvit, ut ex quinque versibus 563—7 quos turpimine esse interpolatos contendit, hos efficeret tres: *καὶ δὲ θεῶν τίς σ' ἦγε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν, ‖ οὐ βροτὸς, οὐδὲ γὰρ ἂν φυλακοὺς λάθοι, οὐδέ κ' ὀχῆα ‖ ῥεῖα μετοχλίσσειε θυράων ἡμετεράων.* Idque arbitratur neminem semel admonitum in dubium vocaturum. At ne irascatur vir doctissimus me semel admonitum re accuratius perpensa ei quam proposuit sententiae non suffragari. Etenim si versus ita essent cantati, ut K. voluit, nullus mihi rhapsodus posse cogitari videtur tam malus, tam absurdus, ut haec verba, quae K. omisit, inculcaret ineptissime. Sin vero nobiscum reputamus hunc poetam saepenumero minime suo loco alienos versus, quorum reminisceretur, suo carmini immiscuisse pessime, verisimilius atque probabilius videtur statuere hoc quoque ei crimini esse dandum. Ceterum de accurata, quam hic invenimus, tentorii Achillis descriptione iam supra egimus ad v. 446. ***)

571—595. Jam Achilles cum duobus ministris ex tentorio egrediuntur, equos mulosque

---

*) Aliter iudicavit Düntzerus, qui Geppertum, cuius librum mihi non sub manibus esse doleo, impugnat. Geppertus scripserat: „Die Antwort darauf ist sehr barock. Diese grenzenlose Wildheit und Barbarei, mit der Achill den wehrlosen Greis, der als Schutzbefohlener des Zeus unter seinem Dache vor ihm steht, davor warnt, dass er ihm Thätlichkeiten zufügen könnte, ist auch ein neuer Zug, der den Charakter des Helden nicht wenig entstellt.“ Contra Düntzerus disputavit haec: „Achilleus wird in diesem Augenblicke, wo er die Leiche des Hektor freigeben soll, von tiefstem Unmuth ergriffen; das Rachegefühl flammt noch einmal auf, um auf immer zu verlöschen. Die dringende Bitte des Alten verletzt ihn; er will nicht um das gemahnt sein, was er nicht mehr umgehen kann, aber ungern thut. Deshalb bittet er ihn nicht durch weiteres Bitten zu reizen, weil sonst leicht das sich in seinem Herzen wieder regende Rachegefühl in Wuth ausbrechen könnte. Hier haben wir die tiefste Naturwahrheit, welche uns den homerischen Dichter in seiner wahren Grösse erscheinen lässt; nur dem begabten Meister konnte solch ein Zug gelingen.“ Quibus sententiis quid magis inter se contrarium potest proponi? Etenim alter summis laudibus ornavit omnia quae non incurrunt in reprehensionem, contra alter spernit atque vituperat, si quae minus nitent. Neutrum puto incorrupto iudicio de hac rhapsodia esse usum. Certe hic locus neque tantis laudibus neque tam gravi vituperatione sit dignus.

) p. 16. — *) p. 19.

a iugo solvunt, praeconem introducunt, dona ex plaustro depromunt duobus exceptis vestimentis, quibus Hectoris corpus tegatur, ancillae evocantur atque iubentur Hectoris corpus lavare atque unguere procul, ne forte Priami lamentationibus Achillis animus irritetur. Quo facto ipse Achilles cum ministris corpus in plaustrum imponit Patroclique manes precatur, ne succenseat, quod donis acceptis reddidisset patri Hectorem, ipsum horum donorum iustam debitamque partem accepturum.

Primus versus 571 ut alii multi huius rhapsodiae ex prima translatus cf. *A* 33. De vocabulo *οἴκοιο* 572, est enim de tentorio, supra egimus, ceterum h. l. simile *λέων ὥς* minus apte esse positum facile intelliges, si comparaveris *Λ* 129 vel *Υ* 164, quibus locis cum leonibus comparantur heroes in hostium ordines irruentes.

573 cf. *B* 822, *β* 11. Praeterea cui non venit in mentem ille versus: *οὐκ οἴη ἅμα τῇ γε καὶ ἀμφίπολοι δύ' ἕποντο*, qui usurpatur de Helena ad illam *τειχοσκοπίαν* eunti *Γ* 412 vel de Penelopa ad procos se conferenti *α* 331, *σ* 207.

Vv. 580 et 581 rejecit Köchly. *) Qua in re non nego quidem eos h. l. posse deesse, sed causa quam protulit mihi non satis magna atque gravis est visa, at si versum 583, ita uti Köchly censuit, omittimus, vereor ne versus sequentes vix possint intelligi. Nam ut deleamus v. 583, quid sibi volunt verba: ancillas iussit corpus lavare et unguere (scilicet extra tentorium), ne Priami filio conspecto dolor erumperet. At ne ita quidem vidit Priamus, qui cum praecone in tentorio remansit. Dixerit quispiam: ne Priami dolor erumpat, si conspexerit filium pulvere atque contumelia, qua eum affecit Achilles, deformatum. At non est corpus deformatum cf. 419 sqq. Quodsi hos versus retinemus, non possumus carere v. 583., quum particula *μή* 584 non referenda sit ad v. 582, referatur ad v. 583. Ergo aut v. 583 retinendus aut una cum vv. 584—6 delendus. Ceterum concedo haec omnia melius atque aptius potuisse narrari, at non tam male sunt instituta, ut versus utique sint eiiciendi. Neque enim omnia nitent in hac rhapsodia.

Vv. 594. 5. delevit Aristarchus, quod non recte diceret Achilles ob dona sese corpus Hectoris reddidisse, immo eum Jovis imperio fuisse coactum, quum ultionem ille quidem donis mutaturus non fuisset. Alii Alexandrinorum versus retinuerunt. Aristarcho assentitur A .Köchly **): „Was das Schlussgebet anlangt, so hat der gesunde Takt Aristarchs die unwürdig eigennützige und thörichte Motivirung 594 f. verworfen. Aber freilich mit dem blossen *ὅτι Ἕκτορα δῖον ἔλυσα* schnappt die Bitte um Verzeihung ohne alle Begründung ab. Ich hoffe unser Dichter hat nach dem Sinne des grossen Kritikers wirklich hinzugedichtet: *πατρὶ φίλῳ ἐπεὶ ἦ μοι Ὀλύμπιος αὐτὸς ἀνώγει*, wie sein Achilleus schon oben der Mutter geantwortet hat. Dann haben wir auch hier eine Vierzeile.“ Neque tamen ego isti discrepantiae, quam Alexandrini sibi deprehendisse sunt visi, multum tribuerim. Quod A. Köchly affirmat hanc causam quam afferat Achilles esse indigne avaram et stultam, id nescio an ex nostrae aetatis suoque ipsius ingenio iudicaverit potius quam ex aetatis homericae moribus, qua aetate homines in ea fuisse sententia constat, ut crederent sibique persuasum haberent donis atque sacrificiis ipsorum immortalium deorum animos placari posse. Quod vero fuerunt qui quaererent, quo modo Patroclus mortuus partem quandam pretii pro Hectoris corpore soluti accipere posset, id nihil est. Hanc dubitationem iam veteres proposuerunt iidemque solverunt. ***)

---

*) p. 16. Verworfen habe ich 580 f. als in Widerspruch mit 588, obwohl ich recht gut weiss, wie man da nicht *aus-*, sondern *„unterlegt“*; ferner 583, wo das *νόσφιν ἀείρασας*, da Priamos im Zelte geblieben, ganz widersinnig und *ὡς μὴ Πρίαμος ἴδοι υἱόν* nur eine Variante von *παῖδα ἰδὼν* 585 ist.

**) p. 16.

***) Schol. 594. 5 *δώσει δὲ ἀποθανόντι δι' ἐπιταφίων εἰς αὐτὸν ἀγώνων* et *ὅτι καὶ μετὰ ταφὴν ἀπένεμον χρήματα.*

596—642. Achilles redit in tentorium Priamoque nuntiat Hectorem esse solutum atque mane posse reduci, iam vero esse coenandum, ne Niobam quidem gravissimo moerore afflictam cibi esse oblitam. Deinde ovis mactatur ab Achille, apparatur ab eius sociis, coenam distribuit Achilles. Coenati Achilles et Priamus inter se admirantur, quo facto Priamus petit, ut sibi cubitum ire liceat, nam post Hectoris necem sese neque dormivisse neque coenasse.

Atque in priore quidem parte omnia bene sese haberent, si oratio Achilles clauderetur versu 601. Jam vero sequitur fabula illa de Nioba, qua senis miserrimi luctum atque moerorem Achilles studet consolari. Promtissimum forsitan atque facillimum sit totum hunc de Nioba locum, in quo quasdam inesse difficultates haud facile quisquam negaverit, reiicere atque removere. At si tecum reputaveris permultos in hac rhapsodia esse locos, quibus maior et amplior rerum fabularumque scientia, quam ceterae Iliadis habent partes, deprehenditur, vide ne audacius sit tam leviter atque temere hunc nodum Gordianum atque adeo Homericum discindere. Liceat mihi breviter ante oculos proponere hos locos: fortasse non magnopere laborabimus, quid de iis sit statuendum. Atque primum quidem invenimus Paridis illud iudicium postea saepissime commemoratum, incognitum illud quidem antiquioribus poëtis (29, 30), deinde Junonem hic poeta facit gloriantem se Thetidem educasse atque Peleo nuptum dedisse omnesque deos illis nuptiis interfuisse (59 sqq.), paulo infra commemoratur rixa, quae per novem dies inter deos immortales dicitur fuisse de Hectoris corpore et de Achille (106 sq.), novem enumerantur Priami filii currumque iungere iubentur (249. 250), paulo post Priamus narrat Mestorem et Troilum optimos filios esse occisos, Troilum vero a cyclicis poetis maxime constat fuisse celebratum (257), tum mentio fit filii Achillis, de quo iam supra egi *), in v. deinde 527 sqq. habes illam allegoriam duorum istorum doliorum, unde Jupiter fingitur bona et mala distribuere hominibus, iam sequitur fabula de Nioba, parum illa quidem perspicue dilucideque narrata. Liceat mihi, ne saepius eodem revolvar, ceteros quoque huiusmodi locos enumerare. Invenimus postea Cassandram vatem illam postea apud cyclicos celebratissimam (699 sqq.) quadam iam opinor praesagiendi arte praeditam, item ex cyclicorum scientia nescio an sint repetenda quae proferuntur ab Andromacha in lamentatione illa de filio infante 735 *ἤ τις Ἀχαιῶν || ῥίψει χειρὸς ἑλὼν ἀπὸ πύργου λυγρὸν ὄλεθρον.* Etenim constat cyclicos narrasse Astyanactem a Neoptolemo, Achillis filio, Troia capta de turri esse praecipitatum. Alexandrini quidem in ea erant sententia, ut statuerent ex his versibus posteriores poetas tristem illam atque miseram Astyanactis sortem suo sibi Marte effinxisse **), si autem haec multa recentioris scientiae vestigia, quae in hac rhapsodia insunt, mecum reputo, mihi quidem non dubium, quin contra res se habeat, quin hic poeta iis demum fuerit temporibus, quibus illae fabulae a cyclicis poetis fuerant exornatae, postremo Helena narrat (765) se iam vicesimum annum a patria abesse Troiaeque versari, quod tempus nusquam, nisi fallor, tam accurate apud Homerum definitur. Quid igitur? Praestat haec omnia quae enumeravi posterioris originis vestigia athetesibus delere atque exstinguere an retinere et profiteri, inde esse coniiciendum hanc rhapsodiam serius esse ortam?

Verum redeamus, unde degressi sumus; Priamus ab Achille admonetur, ut iam cibum capiat, qua in re utitur exemplo Niobae, quae et ipsa, summo dolore afflicta, tandem cibum sum-

---

*) p. 19.

**) ad v. 735 *ἡ διπλῆ, ὅτι ἐντεῦθεν κινηθέντες οἱ μεθ' Ὅμηρον ποιηταὶ ῥιπτόμενον κατὰ τοῦ τείχους ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων εἰσάγουσι τὸν Ἀστυάνακτα.* Welker ep. Cycl. II 196: „Das Herabschleudern des Astyanax von einem Mauerthurm ahndet Andromache bei der Leiche seines Vaters, was auf das schon Gedichtete wie die Orakel in der Poesie sich zu beziehen scheint.“ Cf. quae disputavit Godofr. Hermannus ad Eur. Andr. 10.

pserit. Cuius fabulae quod nullum aliud apud Homerum est vestigium, ei rei nihil tribuendum sit, quum non omnia saepius possent proferri. In hac igitur fabula Alexandrini, Aristophanes atque Aristarchus, reiecerunt vv. 614—617, quia recentiores statuissent Niobam quoque in saxum esse mutatam, Homerus non statuisset; Düntzerus contra eorum versuum non sine iusta causa aliqua ex parte mihi videtur suscepisse patrocinium *), Köchly delet vv. 608, 609, 614—617, 620, quo facto terniones versuum bene hoc loco atque aequabiliter procedunt **). Veteres praeterea in v. 610 ***) annotarunt *ἐν φόνῳ ἐν τῷ τόπῳ οὗ ἐφονεύθησαν*; eundem huius vocabuli usum invenies *K* 298 *βάν ῥ' ἴμεν ἄμ φόνον ἄν νέκυας* et *χ* 376 *ἐκ φόνου εἰς αὐλήν* †). Haec igitur huius vocabuli vis in antiquioribus carminum homericorum partibus nondum videtur inveniri. Ad versum 604 Alexandrini posuerunt diplen, *ὅτι οἱ νεώτεροι διαφωνοῦσι περὶ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν Νιόβης παίδων· οἱ μὲν γὰρ δεκατέσσαρας, οἱ δὲ εἴκοσι τοὺς Νιοβίδας λέγουσιν.* At cur hic poëta Niobae duodecim tribuit liberos? An quia ita in fabulis erat traditum? Minime vero. At qua alia de causa? Nimirum memoria tenebat illos versus de liberis Aeoli, regis ventorum quos imitatus est atque adeo ad verbum fere repetivit. Confer si placet *κ* 5. 6 *τοῦ καὶ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροις γεγάασιν ‖ ἓξ μὲν θυγατέρες, ἓξ δ' υἱέες ἡβώοντες.* Adde quod hic poeta in idem vitium nescio an inciderit, quo haud raro antiquiorum poetarum imitatores tenentur. Res enim mirum in modum saepenumero augent atque exornant ††). Nonne mirum totam gentem Nioba excepta in lapides esse mutatam? non mirum deos ipsos, quos ex opinione Graecorum mortuos tangere erat nefas, feralia attrectasse atque Niobidas humasse? Quod toto hoc loco parva est copia atque ubertas vocabulorum: 601 *μνησώμεθα δόρπου*, 602 *ἐμνήσατο σίτου*, 613 *σίτου μνήσατ'*, 618, 619 *μεδώμεθα-σίτου*, id quidem saepius in hac rhapsodia poterat notari.

Versibus qui iam sequuntur vulgaribus illis atque usitatis formulis describitur caedes pecudis, apparatus coenae, coena ipsa, qua de re cf. indicem, quem si per spatii mihi concessi angustias licuerit, huic dissertationi adiiciam; vv. 625 et 6 sunt ut alii quoque huius rhapsodiae repetiti ex *I* 216. 217, qua in re mirum forsitan sit, quod hic Achilles obliviscitur deorum cf. I 219. Fame deinde sitique depulsa cibo et potione Priamus et Achilles alter alterum adspicit atque admiratur. Qua in re mihi quidem mirum, quod eos fame demum expleta inter se facit admirantes, quod vero Achilles dicitur admiratus esse senem regem *εἰσορόων ὄψιν τ' ἀγαθὴν καὶ μῦθον ἀκούων*, hoc ad eandem redit rem, quam saepissime in hac rhapsodia deprehendimus, quod hic poeta aliis versibus, quorum reminiscebatur, parum feliciter est usus. Nam hoc loco verba *μῦθον ἀκούων* omnino explicari non possunt. Ex quo enim tempore Priamus cum Achille locutus est, aliquantum iam temporis praeteriit. At de illis rebus, quae ad aestheticam revocantur perquam diversa fieri solere iudicia, id hoc quoque loco videmus esse factum. De quo quum ita disputasset Geppertus, ut contenderet: „Was sie nach dem Abendessen thun ist sehr sonderbar, sie sehen eine ganze Zeit einander an", Düntzerus contra affirmavit: „Als Priamos und Achilleus das Mahl beendigt haben, da staunen sie sich einander an. Bisher waren beide vom Schmerze und mannigfachen Leidenschaften so bewegt, dass kein ruhiger Anblick möglich war: jetzt aber, wo sie beruhigt sind, staunen sie einander an, indem sie gegenseitig ihre göttergleiche Gestalt bewundern". Versum deinde 632 Düntzerus eiicit et propter illud *μῦθον ἀκούων*, de quo supra disputavi et propter *ὄψιν ἀγαθήν*, quibus verbis apud Homerum hominem venerabilem adspectu non describi con-

*) p. 417. — **) p. 16. — ***) Schol Eustath.

†) Eust.: *ἐν δὲ τῷ, ἔξεσθε θύραζε ἐκ φόνου εἰς αὐλήν, δύναται φόνος καὶ τὸ χεθὲν αἷμα λέγεσθαι καὶ ὁ τόπος, ἔνθα οἱ φόνοι τῶν μνηστήρων.*

††) de extr. Od. p. diss. Bielef. 1855 p. 12.

tendit verissime *). At num ideo hic versus est tollendus? tot rebus in hac rhapsodia offendimur, ut eas omnes athetesibus istis removere levius atque audacius esse videatur. Huc accedit quod v. 632 deleto concinnitas illa, quam hoc loco quaesivit poeta, exstinguitur, nam quum causam addidisset, cur Priamus admiraretur Achillem, non poterat non eam quoque proferre causam, qua Achillis excitaretur admiratio. Qua quidem in re, ut versum expleret inepte adjecit verba *μῦθον ἀκούων*. Cf. *β* 314 *καὶ ἄλλων μῦθον ἀκούων*.

643—676. Achilles socios atque ancillas iubet lectum parare atque per iocum admonet senem, ut extra tentorium recumbat, ne a principibus Achivorum, qui consultandi causa sese adire soleant, inveniatur. Quaerit deinde ex eo, quot dies in Hectoris sepulturam insumere velit. Ad quam rem quum ille undecim dies opus esse affirmasset, ab Achille undecim dierum accipit inducias. Quo facto utrique cubitum eunt.

Quam perverse qui sequuntur versus aliunde essent repetiti, quam non quadrarent ad Achillis tentorium *αἴθουσα* 644, *μέγαρον* 647, *πρόδομος δόμου* 673, de ea re satis superque supra me disputasse arbitror.

V. 649 nomine tantum mutato invenies *Π* 744, *χ* 194, utroque autem loco vocabulum *ἐπικερτομέων* multo aptius esse positum, quicunque leviter tantummodo illos locos cum hoc contulerit, mea quidem sententia facile concedet. **) Altero enim loco acerbissime irridens Patroclus alloquitur Cebrionem, quem modo interfecerat, altero Eumaeus pastor ille fidelissimus Melanthio, qui crudelissimo supplicio erat affectus, conviciatur. Quae vero postea Achilles dicit Priamo, iis non mediocriter offendor; *ἐκτὸς* cubare iubetur Priamus, ne principes Achivorum, qui semper ut par esset consilia inituri ad Achillem adirent, senem animadverterent, neve re ad Agamemnonem delata Hectoris redemtio differretur. Atque primum quidem num credibile est et verisimile noctu venturos fuisse duces Achivorum ad consultandum ad Achillem idque Hectore occiso? num timendum erat, ne Troes, quippe qui Hectore, fortissimo viro, trucidato animis concidissent vehementer, ultro bellum redintegrarent? deinde ut veniant principes illi Achivorum, quid timet fortissimus ille Achilles de hospite? quum praesertim ipse per se ne consulto quidem summo duce Agamemnone satis multorum dierum offerat atque concedat inducias? Nonne ipse Agamemno rex ille regum, qui tot duces nobilissimos exercitumque maximum coegit, si qua de re graviore agitur, principum consilium solet convocare? — V. 653 id quod saepius in hac rhapsodia factum est, iam supra invenimus 366 ibique, ut mihi quidem videtur, multo aptius est positus, sequuntur enim verba *τόσσα δ' ὀνείατ' ἄγοντα*. Ceterum illa verba *θοὴν διὰ νύκτα μέλαιναν* melius sese arbitror habere *Κ* 394. 468 *ἰόντα* (*ἰόντε*) *θοὴν διὰ νύκτα μέλαιναν*.

557 *ποσσῆμαρ*. At neque *πόσος* neque *πόστος* est apud Homerum. Nempe *πόστον* est *ω* 287, de qua rhapsodia quid sit statuendum, copiosius disserere vix opus esse videatur. Ne *ὁπόσος* quidem saepe est usurpatum, *Ψ* 238 = *Ω* 792, *Ω* 7, *ξ* 74, *χ* 220.

Vv. 671—676 esse centonem homericum neque convenire ad Achillis tentorium facile apparet, 675 et 676 iam leguntur *Ι* 663. 664, praeterquam quod pro muliere Lesbia, cuius ibi fit mentio, hic Briseis, quae iam Achilli reddita erat, nominatur. Fortasse hic poeta querelis, quas de Patrocli nece fundit Briseis *Τ* 297—299 adductus est, ut h. l. eam Achilli tori participem daret. Quid? si omnes illi heroum Achivorum et mulierum captivarum amores ad cyclicam aetatem sunt

*) p. 418.

**) Köchly p. 8 „mit harmlosem Spott"?

referendi? Etenim in Iliade paucissima eius rei invenies vestigia. Nam Thersitis convicia, quae confert in Agamemnonem B 232, sunt convicia *).

677—717. Omnes dormiunt et dii et homines, unus Mercurius de Priami sorte sollicitus somnum capere non potest, expergefacit Priamum et admonet periculi. Quo facto rex suscitat praeconem, Mercurius iungit et equos et mulos et celeriter nullo sentiente per castra vehitur. Quum vero ad vadum fluminis pervenissent, Mercurius redit ad Olympum. Luce deinde orta prima conspicit appropinquantes Cassandra remque denuntiat civibus, qui ad unum omnes, et viri et mulieres, urbe relicta obviam egrediuntur, ita ut aegre Priamus in urbem invehi possit.

V. 677 et sequentes maximam partem aliunde sunt depromti. Homines ipsi apud Homerum non vocantur *ἱεροί*, non dicit *ἱερὸς Τηλέμαχος* vel *'Αλκίνοος*; sed dicit alio addito vocabulo *ἱερὴ ἲς Τηλεμάχοιο* vel *ἱερὸν μένος 'Αλκινόοιο*, *'Αντινόοιο*. Duo sunt loci, qui huc vocari possunt: *K* 56 *φυλάκων ἱερὸν τέλος* et *ω* 81 *'Αργείων ἱερὸς στρατός*, at illi sunt in Dolonea et in altera necyia, et ne in Dolonea quidem adiectivum *ἱερός* est coniunctum cum vocabulo *φυλάκων*, intercedit *τέλος*.

Jam redeunt, deus Mercurius ipse iungit equos et mulos (690), ipse per castra nullo sentiente vehit; an utrumque vehiculum? At postquam abiit atque Aurorae radiis tota terra est collustrata, 696 *οἱ δ' εἰς ἄστυ ἔλων οἰμωγῇ τε στοναχῇ τε ἵππους, ἡμίονοι δὲ νέκυν φέρον.* At quinam sunt isti *οἱ*? Sine dubio Priamus atque praeco. At num ambo regunt equos? num muli carent rectore? nonne verbum *ἵππους* omnino redundat? imo vero explicari non potest, quum Mercurius, qui una cum Priamo cursum conscenderat, sublimis abiisset?

Cassandra vero de Pergami arce, quo prima luce sola sine usitato illo ancillarum comitatu sese videtur contulisse, prima Priamum conspicit atque praeconem, *τὸν δ' ἄρ' ἐφ' ἡμιόνων ἴδε κείμενον ἐν λεχέεσσιν.* Quo in versu illud satis scite est institutum, quod ut vulgo apud Homerum *ἵπποι* ponuntur pro curru, sic h. l. pro plaustro ponuntur *ἡμίονοι*, at *τόν* h. l. esse Hectorem, quamquam ex versibus sequentibus apparet, tamen ex mea quidem sententia clarius significari poterat. Cassandra vero narratur ingemuisse atque de arce opinor, (nam eam degressam esse nusquam est dictum) voce maxima atque clarissima rem cum tota civitate communicasse (703 *γέγωνε δὲ πᾶν κατὰ ἄστυ*). Jnvenies apud Homerum Cassandram *N* 365 *Πριάμοιο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην*, quam in matrimonium ducere volebat *ἀνάεδνον* Othryoneus et pollicitus est sese ab Troia repulsurum Achivos, at antequam quod promiserat perficere posset, ab Idomeneo est interfectus, praeterea eius fit mentio in necyia *λ* 421 sqq, ubi eam ab Clytaemnestra esse necatam Agamemno narravit Ulixi. Nonne ex hoc huius rhapsodiae loco iam vestigium quoddam apparet artis illius praesagiendi et vaticinandi, de qua multi postea fuerunt cyclici? non mirum regis filiam bene mane turrim opinor conscendisse, patremque primam conspexisse et rem de specula scilicet maxima voce civibus denuntiasse? Ego, quum mecum reputo multa alia quoque in hac rhapsodia cyclicae cuiusdam scientiae deprehendi vestigia, colligendum esse puto nostrum, quippe qui ea esset aetate, qua fabulae illae cycli epici iam essent pervulgatae, haec de Cassandra quoque inde sumpsisse. Simile quiddam iam Eustathius de hoc loco iudicavit **).

Pauca restant.

**) Aliter de hoc loco iudicavit Düntzerus in Aristarcho p. 175: „I 663 ist aus *Ω* 675, woher auch unser Dichter auf den Gedanken kam, hier ihm und auch dem Patroklos eine Beischläferin zu geben, während sein Achilleus eben so sehnsüchtig der Briseis nachzuschmachten schien. *Ω* 675 wird der dem Achill zurückerstatteten Briseis mit besonderer Bedeutung gedacht.“

**) Sch. B ad 699: *οὐκ οἶδεν αὐτὴν μάντιν ὁ ποιητής.* Contra Eustathius: *ὅτι τὴν Κασάνδραν, ἣν ἰκέλην χρυσῇ 'Αφροδίτῃ λέγει διὰ τὸ κάλλος, φιλάδελφον πάνυ παριστᾷ καί που ἴσως καὶ μαντικήν, ἐν οἷς λέγει προμαθεῖν αὐτὴν ἀνακομιζόμενον τὸν ἀδελφόν.*